



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

De sanctis in Belgio tempore Ludouici Imp. Capvt XXII

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

pus & patronus Mechliniensium: qui martyrio est *Mechlinien-*  
 coronatus anno septingentesimo septuagesimo *ses.*  
 quinto. Sanctus Gregorius episcopus Traiecten-  
 sis, insignis prædicator Frisonicæ gentis: cui anno  
 septingentesimo octuagesimo quarto successit A-  
 delbricus: Sanctus Ludgerus episcopus Monaste-  
 riensis, qui Traiecti sub sancto Gregorio multum  
 in scientia literarum & in morum probitate pro-  
 fecit, & aliquot annis Dauentriæ, & per Frisiam  
 laborauit in fidei prædicatione & corroboratio-  
 ne. Sanctus Saluius, episcopus Aquitanix, qui  
 cum discipulo suo, à filio procuratoris fisci Va-  
 lencenensis est martyrizatus: quorum corpora  
 post triennium Carolus magnus diuina admoni-  
 tione repetit. Apud Thenas, beatus Himelinus,  
 cognatus S. Rumoldi. In palatio Caroli, S. Ar-  
 noldus, ipsius cytharædus.

*De sanctis in Belgio tempore Ludouici Imp.*

C A P V T    X X I I

**L**udouicus rex & Imperator, Caroli magni  
 filius, post patris obitum imperat annis vigin-  
 ti sex: Moritur anno octingentesimo quadragesimo.

Claret Traiecti S. Fredericus episcopus &  
 martyr, qui in Walachria multum laborauit con-  
 tra illicita connubia, & in Frisia contra Arianam  
 perfidiam. Anno trigesimo octauo occisus est ad  
 sanctum Saluatorem, ante summum altare, post  
 Missæ celebrationem; quia Ludouici Imperatoris  
 & Iudithæ consanguineæ eius nuptias, vt ince-  
 stas damnabat. Contraxerant enim sine Romani  
 Pontificis licentia. Claruit cum eo in eadem ec-  
 clesia S. Odolphus Canonicus, qui aliquot  
 annis in Frisia, potissimum Stauriæ, *sue Staueræ*  
 labora-

laborauit, multumque populum ad viam veritatis reduxit.

Sanctus Ansharius, monachus Corbeiensis, & archiepiscopus Hamburgensis, anno octingentesimo trigesimo tertio visitat Turoltum Flandriae monasterium, sibi & clero in vitae subsidium donatum à Ludouico: vnde secum abduxit sanctum Rombertum Flandrum, qui ei in episcopali functione successit. Clarebat etiam S. Adalardus abbas Corbeiensis, oriundus apud Aldenardam, ex Vscia, quae villa Corbeiae donata est.

Einardus, Gandensis abbas, anno octingentesimo vigesimo octauo, reliquias sanctorum Marcellini & Petri Roma attulit.

Eodem tempore Euerardus Comes Cisoniensis, coniuge ac liberorum pulchra propagine, opibus, clientelis, peritia rei militaris, vitaeque sanctimonia illustris est habitus, initiumque dedit Cisoniensi cœnobio iuxta Insulas. In quo etiam B. Arnulphus miles, pro magistri sui defensione innocens occisus, martyrij titulo refulget decoratus.

Item floruisse scribuntur sub Ludouico Alemanniae rege, sanctus Veronus Lembecae sepultus, & soror sancta Verona, quae haud procul à Louanio quiescit. Sed examinent studiosi, num hic Ludouicus, frater sit Caroli Calui.

*Tertia Belgarum vastatio per Nordmannos.*

C A P V T X X I I I .

**N**ordmannorum & Danorum saeuissima & diuturna vastatio per Franciam & Lotharingam, sub hoc Imperatore incepit. Anno trigesimo secundo littora Flandrica tentauerunt, sed